
3 1761 06765930 0





Inscriptus Catalogo Librorum
C. Geo. Berényi humani
tatis in anno 2do auditoris
A. 1778

# ELEMENTA
# IVRIS NATVRALIS

# INSTITVTIO ELEMENTORVM IVRIS NATVRALIS IN VSVM GYMNASIORVM ET SCHOLARVM GRAMMATICARVM PER REGNVM HVNGARIAE ET PROVINCIAS EIDEM ADNEXAS.



BVDAE,

TYPIS REGIAE VNIVERSITATIS ANNO M. D. CC. LXXVIII.

*Prostant Budae, et Tyrnauiae, 24. xr.*


LIBRARY
JAN 29 1969
OF TORONTO



# PROEMIVM.

## §. 1.

*Homo in eligendo bono, & malo ſaepe labitur, et quare?*

Ita homo a natura factus eſt, vt nihil adpetere ſoleat, niſi, quod ſibi tamquam bonum aliquod cogitat; nihil auerſari, niſi opinione mali. Conſtat vero experientia multorum, ſaepe nos cogitatione boni, maliue decipi, bonumque exiſtimare, quod reipſa malum eſt; malum contra reputare, quod eſt bonum: eoque errore frequenter euenire, vt voluntas ſpecie boni, aut mali impulſa in alia omnia feratur, quam in quae illam natura ſua ferri oportebat.

## § 2.

*Quare homini neceſſaria lex?*

Vt ne igitur ad veram natus felicitatem homo fine ſibi a DEO praeſtituto excideret,

neceſſaria illi eſt, non modo via quaedam, ac ratio certa, qua id, quod vere bonum eſt, vel malum, ab eo, quod adparet tantum, diſcernere valeat; verum etiam, norma, ſeu regula, per quam ad id, quod nouit, bonum faciendum, malum contra vitandum dirigatur.

## § 3.

### *Quid lex naturalis?*

Vtrumque illi *leges naturales* ſuo modo praeſtare poſſunt: neque enim aliud illae ſunt, quam inſitae in natura hominis ab ipſo Creatore, et per rectum rationis vſum promulgatae regulae, quae non modo, quid bonum nobis, quidue malum ſit, perſpicue indicant; ſed etiam ad illud quidem faciendum, hoc autem fugiendum neceſſitate quadam adſtringunt.

## § 4.

### *Quid Ius Naturale? et quae eius vtilitas?*

In his legibus exponendis verſatur Philoſophiae moralis pars illa, quae *Iuris Naturae* no-

nomine ſatis nota eſt. Huius proinde vſum, neceſſitatem, ac praeſtantiam facile quisque intelliget, ſi cognouerit, nullam illi rem aliam eſſe propoſitam, quam vitae praeſentis naturalem, ac veram beatitatem, quae niſi veris bonis conſectandis, veriſque malis vitandis; id eſt, virtute ſtudioſe colenda, nulla eſſe omnino poteſt.

## § 5.

### *Quid officium, et quotuplex?*

Quidquid Ius Naturae faciendum, vel omittendum docet, id omne *officium* dicitur. Eſt autem officiorum naturae partitio commodiſſima, in ea, quae quiſque *Deo*, tum, quae *ſibi ipſi*, tandem, quae *aliis* debet. Quae aliis debemus officia, bipartita ſunt: alia enim *iure perfecto* iis debentur: et vi a nobis etiam inuitis exigi poſſunt, quae officia *iuſtitiae* dicuntur: alia proficiſcuntur *ex charitate*, quae coactioni ſubiecta non eſt, debenturque *iure imperfecto*, et ob id officia *humanitatis*, ac *beneficentiae* adpellari ſolent.

Ita ad humanitatem, et charitatem pertinet, egenti quum poſſis auxilium praebere; ſed

rem depoſitam, Domino quum repetit, reſtituere, exigit iuſtitia,

§ 6.

*Quid officium abſolutum, et hypothet?*

Officiorum porro iuſtitiae duo ſunt genera: *abſoluta, et hypothetica: abſoluta* ſunt, quae naturali lege ita praecipiuntur, vt nullum factum, vel inſtitutum humanum ſupponant; cuiusmodi ſunt de non laedendis aliis: *Officia hypothetica* ſunt, quae niſi poſitis quibusdam hominum inſtitutis, locum non habent. Huius generis officia ſunt, quae ex iure Dominii, pactorum, ſocietatis proficiſcuntur.

§. 7.

*Partitio huius opuſculi.*

Itaque Iuris Naturalis inſtitutio vt iuſto quodam ordine procedat, primum quidem, quae quisque DEO debeat, docebimus: tum, quae ſibi ipſi, aliisque ſingulis; poſtremo, quae ſocietati humanae. Ita vero in his tradendis officiis verſabimur, vt capita magis officiorum indicentur, quo nimirum intelligamus, quemadmodum ex lege naturae vitam nos agere deceat, quam vt di-

diſciplina rerum varietate perampla, pagellis aliquot comprehendatur.

---

# CAPVT PRIMVM

## DE OFFICIIS ERGA DEVM.

§. 8.

*Quodnam eſt ſupremum hominis erga Deum officium?*

Rerum creatarum omnium finem ſupremum in diuinarum perfectionum manifeſtatione ſitum eſſe adcurata earum, totiusque naturae contemplatio luculentiſſime commonſtrat. Primum igitur, ac praecipuum, quod homini natura impoſuit, officium illud eſt, quod *in Supremi Numinis gloria illuſtranda, veroque eius cultu verſatur.*

§. 9.

*Quid eſt cultus Dei, et quotuplex?*

Cultus DEI complectitur actiones, ad quas ſuſcipiendas, ponendasque diuinarum

perfectionum cognitione, ac sensu impellimur. Quare Quum actiones huiusmodi, quemadmodum aliae omnes, quae quidem libere peraguntur, vel ab animi solius, vel a corporis simul viribus pendeant, Diuini cultus genera duo recte statuuntur: *Interni* scilicet, atque *externi*: quorum ille sine hoc quidem; hic vero sine illo verus esse cultus, dicique nullo modo potest.

§. 10.

*Cultus diuini interni officium est* 1^mo^ *Deum cognoscere.*

Interni cultus princeps officium est: DEUM *cognoscere*: deque illo recte sentire ei, potentiam suam, bonitatem, sapientiam reddere, neque quidquam illi tribuere, quod cum his, aut coeteris eius perfectionibus componi nequeat. Quocirca vitandus est omnis, verae de DEO cognitioni aduersus *error*, vitanda *superstitio*, quae ex ignorata DEI natura eiusmodi actionibus beneuolentiam eius demereri studet, quae tantum abest, vt gratae illi, acceptaeque esse possint, vt etiam necessario displiceant

§. 11.

## §. 11.

### 2do *Eum amare.*

*Certa* vero, ac *viua* perfectionum diuinarum cognitio fieri non poteſt, quin tenerrimum Summi Numinis amorem in animis mortalium concitet. Sunt haec duo ita inter ſe natura coniuncta, vt alterum ex altero conſequatur. Et vero ſunt hominibus permultae DEUM ſuper omnia cauſae amandi: nam et ipſe in ſe bonus eſt; immo ſumme bonus: bonum vnicum, in cuius perfruitione beatus homo eſſe poteſt; et nos amore plus, quam paterno proſequitur, quod ex tot eius, ac tantis, quae in nos quotidie confert, beneficiis nemo niſi ingratiſſimus neſcire poteſt.

## §. 12.

### 3tio *Reuereri, ac more filiorum timere tamquam Patrem.*

Habet autem hoc omnis amans, vt ſollicite caueat, ne quidquam a ſe admittatur, quod ei, quem amat, iure poſſit diſplicere. Sollicitudo haec, quoniam ex amore naſcitur, *reuerentia*, ſeu *timor filialis* aptiſſime dicitur.

Itaque DEO, vt amor, ita et reuerentia, et coniunctus cum amore timor a nobis natura debetur. Qui DEUM timet, non quia veretur ut Patrem sui amantem: sed quia reformidat vt Dominum scelerum suorum vindicem, timet *seruiliter*; qui quidem timor, si a coeteris reuerentiae Supremo Numini exhibendae motuis seiunctus non est, nec iniustus est, nec sine magna vitae socialis vtilitate, cuius magnopere interest, poenarum saltem metu ad officium cogi eos, quos aequi, honestique amor non continet.

## §. 13.

## 4to *Eidem obsequi.*

Nihilominus fatendum est, laudabilius, et divina Maiestate dignius *obsequii* genus illud esse, quod ex timore filiali proficiscitur, et cum amore coniunctum est: nimirum digna DEO obedientia illa demum est, qua promte, ac lubenter facimus, quae is fieri a nobis vult, et omittimus, quae non vult, idque solius diuinae voluntatis contemplatione. Quare duo complectitur obsequii hoc erga DEUM officium; legum scilicet diuinarum diligentem, quoad status cuiusque, et

inge-

ingenium patitur inquiſitionem; tum earum ipſarum legum amorem, vitamque ſecundum eas inſtitutam. Eſſe autem DEO obediendum magis, quam hominibus, ex eo fit perſpicuum, quod rerum, hominumque ſupremus ſit Dominus, cui Reges ipſi omnes reuerenter obediant, neceſſe eſt.

## §. 14.

## 5to *Et propter Deum etiam legitimis Superioribus.*

Verumtamen obſequii, quod DEO debetur, pars eſt non poſtrema, obſequium, quod Regibus, aliisque legitimis ſuperioribus debemus; *non eſt enim poteſtas niſi a Deo*, vt Apoſtolus docuit. Et, qui in terris imperium exercent Reges, ac Principes, diuino id conſilio, diuinoque iuſſu exercent: ex quo fit, vt deſertores officii ſui, diuinaeque legis contemptores ſint habendi, quicunque obedire detrectant his, quos legitimo in nos imperii iure gaudere DEVS ipſe voluit.

§. 15.

*6to Etiam in his, quae sola nobis reuelatione constant.*

Obsequium autem, quod DEO deberi ratio docet, non ad naturae tantum praecepta, veritatesque naturae lumine cognitas pertinet; verum ad omnes, tam veritates etiam eas, quae rationis humanae vires sublimitate sua excedunt, quam mandata, etsi solius reuelationis diuinae beneficio nobis innotuissent: neque enim obsequens DEO dici quisquam potest, qui, quod docuisse illum nouimus, ac praecepisse, etiam si ratio id minus adsequatur, non certissimum habet, totoque animo amplectendum sibi, exequendumque non putet. Nam vt omnis hac in re dubitatio; ita contemtio cuiuscunque a DEO propositae legis, non potest non cum summa diuinitatis iniuria esse coniuncta. Ex quo admirari licet impudentiam hominum, qui, dum reuelationis diuinae aperte prae se contemtum ferunt, suum in naturalem religionem studium verbose iactant, quasi non ipsa esset ratio, quae reuelationi tota mente, toto corde adhaerere praecipiat.

§. 16.

## §. 16.

## $7^{mo}$ *Sperare in DEVM*

Quamquam vero obedire nos DEO oporteat in omnibus ſolius diuinae voluntatis contemplatione; habet tamen promptum, et conſtans in ſeruitio DEI obſequium, propoſitam ſibi ſpem certam *proemii*, vt inobedientia *poenae*: Eſt enim profecto ſapientiae, ac prouidentiae, qua totam hanc rerum vniuerſitatem gubernat DEVS, proprium, ſicut remunerari virtutem, ita punire vitia. Nec ſi differat interdum poenam DEVS, aut prauos homines donare bonis vitae praeſentis videatur, idcirco abiicienda nobis ſpes eſt. *Conſueſcunt* enim, vt ait elegantiſſime IVLIVS CAESAR, *Dii im̃ortales, quo grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci velint his ſecundiores interdum res, et diuturnam impunitatem concedere. Libro* I. *de bello Gallico cap.* 14.

## §: 17.

## $8^{uo}$ *In ipſo fiduciam collocare.*

*Fiduciam* quoque in DEO collocare, hominis pii officium eſt. Quum enim omnia

ille

ille explorata teneat, quae in hoc mundo fiunt, et aguntur: quum ea, quibus homines indigemus, quibusue vrgemur, bona, et mala cuncta illi perſpecta ſint: quum porro res nulla ſit, quae, quomodo effici poſſit, ipſe neſciat, aut cui efficiendae potentia eius non ſufficiat, quum denique res a ſe creatas amet, ac beneficus ſit adeo, vt nullum verum bonum ſit, quod ab eius munificentia expectare non liceat, quidquamne magis certum cuiquam eſſe debet, quam ſit hoc: *poſſe* DEVM ſcilicet nos beatos reddere, ac etiam *velle*, omninoque felices nos ſub tutela eius, ac prouidentia fore, neque defuturum nobis vnquam quidquam earum rerum, quae ad felicem, vereque beatam vitam pertinent.

## §. 18.

## 9no *Eius voluntati adquieſcere.*

Cum fiducia huiuſmodi neceſſario coniuncta eſt, *adquieſcentia* in voluntate diuina, qua fit, vt aequo animo feramus omnia, quaecunque nobis obueniunt: nam, quia perſuaſiſſimum nobis eſſe debet, nihil praeter DEI voluntatem nobis accidere; certum autem ſit, nihil ab eo permiſſum iri vnquam, quo vere infelices, ac miſeri efficiamur, quid

eſt

eſt, cur imbutus hac cogitatione animus fortunae ludos magnopere reformidet? atque hinc illa eſt piorum in aduerſis magnitudo animi, et tranquillitas, quam non immerito Ethnicorum etiam ſapientes in magna felicitatis parte reponebant.

## §. 19.

### 10mo *Ex quo naſcitur officium ad preces.*

E fiducia in DEO *preces* naſcuntur. Sunt hae deſideria rerum ad ſalutem noſtram pertinentium vel animi ſolius, vel expreſſa verbis: Quoniam vero nullae DEO preces gratae ſint, niſi quae cum ſpe, ac fiducia auxilii diuini coniunctae ſunt, magnopere cauendum eſt nobis: ne quid ab eo petamus, quod aut nociturum eſt nobis, aut DEVS ſalua ſapientia, bonitate, iuſtitia tribuere non poteſt. Et quia perſaepe, quid nobis vere proſit, quid diuinis perfectionibus ſit conſentaneum, non ſatis intelligimus; ſapienter illi, ac pie faciunt, qui nihil a DEO, neque petunt, neque expectant, niſi quod ipſe profuturum ſibi iudicauerit; quique ſemper IVVENALIS illud in animo habent.

*Per-*

*Permittas ipſis Numinibus expendere, quid*
*Conueniat nobis, rebusque ſit vtile noſtris.*
*Nam pro iucundis aptiſſima quaeque dabunt DI*
*Carior eſt illis homo, quam ſibi.*

§. 20.

## *Quid cultus DEI externus, et qualis?*

DEVM Opt. Max. non mente tantum, et animo; verum externis quoque actionibus colendum eſſe natura ipſa, et ratio penitus perſuadent. Manifeſtare enim gloriam eius, id quod natura praecipit, qua tandem alia ratione poterimus, niſi id fiat per actus exteriores, diuinis perfectionibus conſentaneos. Huiuſmodi actibus cultus DEI externus conſtat, qui proinde veri nominis cultus eſſe non poteſt, niſi coniunctum habeat internum, a quo proficiſcitur. Abeſt ergo a verae pietatis ratione, non modo *ſuperſtitio*, ſed et *mechaniſmus*, et *ſimulatio pietatis*, quae tum exiſtit, quando vel gloriae ſtudio, vel vtilitatis ſuae cauſa, vultu, geſtuque pietatem mentiuntur vani homines, a qua eorum animus abeſt quam longiſſime.

§. 21.

§. 21.

## *Quae ſunt externi cultus partes?*

Exterioris autem diuini cultus officia haec ſunt praecipua 1*mo* exercitiis pietatis, quibus illa conſeruatur, confirmatur, augetur, veluti legendis libris, et audiendis piis ſermonibus, diligenter et aſſidue vacare. 2*do* DEVM, ac verum illius cultum coram aliis ſincere profiteri, quoties id diuina gloria depoſcit: cui officio aduerſatur et *pudor pietatis* et *religionis totius negatio.* 3*io* alios ad cultum verae diuinitatis tam verbis cohortari, quam exemplo trahere. 4*to* de DEO nunquam niſi cum ſumma reuerentia, ac modeſtia loqui; eius nomine ad res ludicras, ac turpes non abuti: nihilque, nec facere, nec dicere, ex quo ſuſpicio cuiquam animi de DEO minus recte ſentientis naſci poſſit. Huc etiam pertinet 5*to* Diuini nominis celebratio, externaque ſupremi Numinis adoratio, quacum aduerſa fronte *blasphemia*, & *idololatria* pugnat. 6*to* *Supplicationes*, *preces*, *interpellationes.* 7*mo* gratus aduerſus DEVM verbis, factisque declaratus animus, aliaque huius generis, quae ex ſuperioribus nullo negotio intelliguntur.

## §. 22.

### *An etiam dies festi? ceremoniae? imagines?*


Ad cultum externum etiam dies festi, et ceremoniae sacrae, atque imagines referuntur. Et *festi* quidem *dies* non ita sunt lege naturae instituti, vt, quibus temporibus, et quoties celebrandi sint, perspicue definierit: hoc tamen ex his, quae dicta sunt, aperte cogitur, insignem eorum ad alendam, augendamque pietatem esse vtilitatem. *Ceremoniae*, et *imagines* quoniam in id comparatae sint, vt rerum sacrarum, operum, ac beneficiorum DEI, exemplorumque pietatis singularium memoriam excitent, ac tueantur, adeo nihil rationi aduersum habent, vt etiam ab ea commendentur, si modo sint huiusmodi, vt hunc vsum praestare commode possint; caueaturque, ne homines sensuum amplius, quam par est, adsueti imperio, vniuersam, aut saltem praecipuam DEI colendi rationem in his sitam esse arbitrentur. Idem de hymnis in laudem DEI decantandis dici potest.

§. 23.

## §. 23.

## *Quid religio naturalis, et an ſufficiens ad beatitatem?*

Atque haec *religionis naturalis* praecipua ſunt capita: quam eſſe veram, ac in ſe bonam religionem negari quidem abſque iniuria in DEVM non poteſt; ſed tamen ad completam vitae etiam huius beatitatem, felicitatemque comparandam natura ſibi relicta minime ſufficit: Quo magis agnoſcenda eſt nobis religionis Chriſtianae praeſtantia, quae, dum ignotum naturae modum commiſſa ſcelera expiandi ſuppeditat; dum conſcientiae remorſibus medetur; dum imperare rationem: ſenſus contra ſeruire cogit, egenti naturae ita ſuccurrit, vt nihil praetermittat, quod ad recte, beateque viuendum pertineat.

# CAPVT SECVNDVM

## DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SE IPSVM.

§. 24.

*Officia, quae ſibi ipſi homo debet, quotuplicia?*

Officiorum, quae ſibi quiſque debet, triplex genus eſt. *Primum* eorum, quae ad Mentem, animvmqve: *alterum*, quae ad corpvs: *tertium*, quae ad ſtatum externum pertinent. Inſunt autem omnia in hac lege: *perfice te ipſum, ac ſtatum tuum.*

§. 25.

*Excolenda eſt mens.*

Sed mentis, animique cultura in primis commendata cuique noſtrum eſſe debet. Excolitur vero animus, dum facultates illae perficiuntur, quas natura menti attribuit. *Intellectus* autem, et *rationis* praecipua cura habenda eſt; nam quia rationis ſolius beneficio, ac vi, quid in quaque re verum

ſit,

ſit, falſumque intelligimus: quid bonum, et malum, quid honeſtum, ac turpe, iudicamus: quid ex omni re, tamquam ex ſua cauſa, futurum ſit, proſpicimus: negligens profecto felicitatis propriae ſit oportet, et ipsa prope indignus humanitate, qui officium tam neceſſarium ignaue deſerit.

§. 26.

*Quare?*

Quomodo enim poteſt cuiquam ab erroribus cautum eſſe, niſi quid in vnaquaque re verum ſit, quid falſum perſpiciat? Et hoc ipſum, qui tandem fieri poteſt, neglecto omni, contemptoque rationis, atque intelligentiae cultu? cauendos autem eſſe errores, tamquam peſtes, maxime illos, qui ad bonum, et malum, iuſtum, et iniuſtum, honeſtum ac turpe diſcernendùm pertinent: poteſtne quisquam dubitare, niſi, ſi quis in animum inducat, nullam huiuſmodi erroribus in vita humana, ac moribus vim eſſe? quidquod ipſa nos inſita a natura veri videndi cupiditas ad hanc mentis culturam impellere debeat?

## §. 27.

### *Excolenda voluntas, et quomodo?*

Proxima huic adiungenda eſt cura *voluntatis*, quae, dum ſe recte habet, verum tantum bonum conſectatur, et a vero tantum malo declinat. Atqui hoc ipſum eſt, quod natura iubet, in cuius legibus ſtudioſe obſeruandis virtus ſita eſt. Cauendum eſt proinde *primum*, vt ne boni maliue inani obiecta ſpecie decipi nos vnquam patiamur: *deinde*, vt voluntatem amore virtutis imbutam naturae legibus obſequi, non imperare aſuefaciamus. Et quoniam nulla res ad voluntatem a virtutis ſtudio auocandam magis valet, quam vehementiores illae animi commotiones, quas dicimus *affectus*; obiicienda his eſt tamquam froenum *temperantia*, ſine qua nulla eſſe vita beata poteſt.

## §. 28.

### *Intuitu corporis proprii quae hominis officia?*

Ita vero excolendus nobis eſt animus, vt corporis curam non deſeramus. Huius prae-

praecipuum bonum eſt *vita*, proximum *valetudo*, cui morbus, vt illi mors opponitur. Vtrique ergo, et vitae, & valetudini tuendae, conſeruandaeque curam adhibere debemus; neque facere quidquam, quo vel mortem accelerari, vel valetudinem corporis, viresque atteri nouerimus. Fugienda quoque ſunt omnia, vitae, morborumque temeraria pericula. Multo vero minus ipſe ſibi vim quiſquam inferet, deque ſtatione ſua decedet prius, quam iuſſerit is, a quo in ea poſitus eſt.

§. 29.

*Quae ratione ſtatus externi?*

*Ad ſtatum externum*: quod tertium eſt genus officiorum, quae ſibi quiſque debet, honor, et bona fortunae referuntur. Verum honorem nihil adfert praeter virtutem; nihil veram ignominiam praeter vitium. Vt igitur hanc vitare in naturae poſitum officio eſt, et vt humili, abiectoque animo nihil eſſe ſolet vilius: ita qui in laudis, ac gloriae ſtudio nihil ſpectat, niſi virtutem, eamque recte, iuſte, honeſte agendo quaerit, non ſimulatione virtutis, mendacique eius adſumta ſpecie captat, non is ambitio-

ſus, non ſuperbus dicendus eſt, quippe, qui naturam ducem ſequitur.

## §. 30.

### *Quae Bona fortunae? et quae circa haec hominis officia?*

*Bona fortunae* dicuntur omnia, quae ad victum, amictum, aliaſque vitae, ſeu neceſſitates, ſeu commoditates pertinent: Qui rem familiarem tam anguſtam habent, vt etiam neceſſitati deſit, *pauperes* ſunt: *diuites*, quibus vltra commoditatem ſuppetit. Itaque paupertas, quoad fieri poteſt, fugienda eſt: quamquam careat vituperio, ſi culpa vacet. Eadem vero aequo ferenda animo. Diuitiae nec conſectandae nimium, nec abiiciendae, dum a fortuna offeruntur: augenda res familiaris, ſed ſine iniuria cuiuſquam, ſine auaritia: vtendum illa frugaliter, et ſine profuſione, nam vt ſumptus non neceſſarios non recidere vitium eſt, ita facere, quos neceſſitas vitae, et congruens cum ratione iucunditas deſiderat, in virtute poſitum eſt.

## §. 31.

### *Cur homini cuique certum vitae genus eligendum?*

Ex hac rerum quaerendarum neceſſitate, exiſtit naturalis ad laborem obligatio. Huic officio deſunt, qui nulli ſe vitae generi addicentes, otio vitam tranſigunt, animam pro ſale habentes, ne marceſcant. Nam, etſi begniorem tibi fortunam experto nihil eorum deſit, quae ad commode, iucundeque viuendum deſiderantur: deeſt tamen aliis, qui auxilium a te iure ſuo depoſcunt. *Non enim nobis ſolum nati ſumus*, vt praeclare ſcribit CICERO, *ortusque noſtri Patria vindicat partem, partem parentes partem amici, atque vt placet Stoicis, quae in teris gignuntur ad vſum hominum omnia creata, homines autem hominum cauſa eſſe generatos, vt ipſi inter ſe aliis alii prodeſſe poſſint. De offic. Libr.* 1$^{mo}$ *cap.* 7$^{mo}$

# CAPVT TERTIVM
## DE OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS.

§. 32.

*Officia aliis debita quotuplicis generis?*

Officiorum, quae homo homini debet, duplex esse genus alibi dictum est: quaedam enim sine iniuria negari non possunt, horumque omnium quasi fons est *Iustitia.* Eius generis praecipua capita sunt: aliis, quod debeas, praestare: nocere nemini, et ne cui noceatur, quantum possis, impedire: Alia proficiscuntur ex *amore*, qui latius patet, neque id modo cauet, ne cui damnum adferat, sed, vt prosit etiam, connititur. Vtriusque generis causa est insitus nobis a natura societatis amor, et quasi cognatio quaedam naturalis inter omnes homines constituta, quae sine mutua huiusmodi officiorum commutatione salua diu esse non potest.

## §. 33.

### *Quod eſt ſummum officium Iuſtitiae?*

Iuſtitiae ſummum officium eſt *neminem laedere.* Quoniam vero principem in humanis bonis locum tenent ea, quae ad animum pertinent, cumprimis cauendum erit, ne mens cuiusquam prauis, aut falſis opinionibus culpa noſtra imbuatur, maxime de rebus ad mores, religionemue ſpectantibus, neue dictis, ſeu factis, aut exemplo noſtro animus cuiuſquam corrumpatur. Nullum ſane magis perniciofum eſt iniuriae genus, nam et reparatur difficillime, et per omnem vitam ſerpit, quam in partem ſi quid peccatum a nobis erit, omni ſtudio connitendum eſt, vt ad virtutem reducatur, qui eam contemnere exemplo noſtro didicit.

## §. 34.

### *Qua ratione corpus alterius laeditur?*

Cauendum etiam eſt, ne corpori cuiuſquam, aut membro, aut valetudini vllo modo noceamus. In primis vero vita hominis homini ſancta ſit, neceſſe eſt. Quapropter etiam, dum iniuſte impetimur, ipſaque

adeo in discrimine vita nostra est, omnia tentanda sunt prius, quo eam periculo subducamus, quam eo progrediamur, vt aduersarii nece vitam seruemus, nisi si omnis alia tuendae illius ratio intercepta fuerit.

## §. 35.

### *Qua item fama, atque existimatio?*

Non minus famae alterius, existimationique parcendum erit: aduersus quod officium multis modis committitur: detractatione, laudis alienae inuidia: conuitiis, factis, et ad contumeliam confictis, aut sparsis criminibus. Vt autem famae hominis consultum esse vult lex naturalis, ita si de ea quoquo modo a nobis detractum est, id totum praecipit reparari; quod quia ob multas, grauesque huius rei difficultates interdum ne fieri quidem potest, intelligitur, quantopere ab omnibus his iniuriae generibus cauere sibi vnusquisque debeat.

## §. 36.

### *Qua demum Bona fortunae?*

Quae rem alterius familiarem tueantur officia, complura sunt a natura constituta:

tuta: nam & auferre quidquam ex rebus alienis vi, aut clam, et fictis quemquam caufis inducere, vt aliquid rerum fuarum in nos transferat, aut alio quocunque modo efficere, quo minus id, quod fibi debetur, exigere, quodue fuum eft, defendere audeat, a iuftitiae naturalis legibus pariter remotum eft, aduerfus quas et ille committit, qui ipfe quidem non nocuit, fed damnum, quod potuit, non auertit.

## §. 37.

## *Quid liceat in eum, qui prior laefit?*

Adeo vero omnis laefio naturae recte conftitutae aduerfa eft, vt nec, fiquis nos prior laefit, eidem iuftus effe locus queat. Laefit is prior, ac laedendo officii fui turpis effectus eft defertor; an ne vero improbum alterius facinus ius mihi tribuet, non faciendi officium, quod ipfe naturae auctor impofuit DEVS?

## §. 38.

## *An etiam is laedit, qui damnum datum non reparat?*

Laedit autem non is tantum, qui rebus alienis damnum infert; verum etiam ille,

ille, qui damnum, quod intulit, dum poteſt, non reparat. Quod quidem damni reparandi officium, non ad rei familiaris iniurias tantum; ſed ad eas quoque pertinet, quibus animo, corpori, aut famae alienae detrimentum eſt illatum. Neque his modo, vt ſatis fiat, videndum eſt, verum iis etiam, ad quos iniuria, et damnum ex illa natum quo demum cunque modo redundauit.

§. 39.

*Quid beneficentia?*

Sed amoris, de quo diximus officia multo patent latius, quam iuſtitiae: haec enim, ne cui noceatur, ſolummodo praecipit; amor etiam prodeſſe vult omnibus, inimicis quoque; et prodeſſe vult non his modo rebus, quae nullo noſtro incommodo praeſtantur aliis; ſed etiam, quae cum moleſtia, et quadam rerum noſtrarum diminutione coniunctae ſunt, in quo ſita eſt *beneficentia*

§. 40.

*Quae dandorum beneficiorum regulae?*

In dandis beneficiis videndum eſt, ne beneficia dentur plus nocitura egentibus,

quam

quam profutura: vt demus ita, ne ipſi egeamus: vt non vtilitatis propriae, ambitionisque cauſa, ſed humanitatis ſolius reſpectu dentur: vt prompte, et cum hilaritate quadam etiam non rogati ſimus benefici: vt ne prodeſſe alteri cum alterius iniuria ſtudeamus etc. Accipientis vero praecipuum officium in grato animo ſitum eſt, qui et amorem benefactoris complectitur, et accepti beneficii memoriam, ſtudiumque referendae gratiae, ſiquid huiusmodi res depoſcat, et vires patiantur.

---

# CAPVT QVARTVM

## DE OFFICIIS IN SERMONE, PROMISSIS, ET PACTIS.

### §. 41.

*Quodnam eſt praecipuum in ſermone officium?*

Societatis inter homines tam ineundae, quam conſeruandae aptiſſimum vinculum eſt *ſermo*; neque enim ſine communicatione ſenſorum animi mutua ſocietas inter nos vlla

eſſe

esse potest, neque haec sensorum communicatio vlla alia commodiore via peragi, quam sermone. Itaque sermonis haec vna causa est, vt cum aliis communicare sua quisque cogitata valeat. Quod ipsum quoniam fieri omnino nequeat, nisi verba vsurpentur iis cum notionibus, quas cum illis coniunxit vsus inter eos receptus, quibuscum loquimur; perspicuum est, abuti nos sermone, ac fallere illum, cui loquimur, quoties aliud ore gerimus, aliud premimus corde.

## §. 42.

### *Quid simulatio, et dissimulatio? et quae circa haec officia?*

Abest autem ab honestate, et iustitia omnis fallacia. Quare huius generis fraus vitanda, omnisque e societate humana tollenda est *simulatio* et *dissimulatio*, nisi quid huiusmodi inciderit, vt dissimulare, quod sentis animo, prosit tibi, alteriue, nemini vero noceat. Vt enim *taciturnitas* iure crimini vertitur, vbi alterius cuiusquam interest me loqui; ita simulare, vel dissimulare, quum de salute, ac bono alterius tuendo, promouendoque agitur, non modo viri boni non est,

eſt, ſed eſt contra iuſtitiam: eamdemque ob cauſam fugiendae ſunt *aequiuocationes* omnes, *reſtrictionesque mentales*, quas aſtuta quaedam alios ludificandi ſolertia contra naturae ſimplicitatem in humanas ſocietates inuexit. Nihil autem turpius, nihil minus dignum eſt homine, *mendaciis*, etiamſi in rem noſtram ſint: nihil contra honeſtius, nihil amabilius, nihil in rem communem vtilius, quam vt in tota vita; ita in omni ſermone apertum eſſe, minimeque fallacem.

## §. 43.

## *Taciturnitas quando praecepta, quando vetita?*

Interdum etiam *tacere* in naturae officiis poſitum eſt. Nam, ſi qua nobis ab amico credita res eſt, quam neſcire alios valde eius refert, nonne contra fidem ſilentii facit, qui eam temere effutit? idem in aliis omnibus rebus tenendum eſt, quae cunctis nota eſſe minime expedit, niſi quid eius rei nobis commiſſum eſſet, quod celatum magnum, vel proximo, vel ſocietati, in qua viuimus, detrimentum eſſet adlaturum.

§. 44.

## §. 44.

### *Modestia in sermone quae?*

Vniuerse autem in omni sermone a criminationibus, calumniis, maledictis abstinendum est: de omnibus honorifice loquendum; sua cuique laus tribuenda: vitia aliena tegenda potius, quam aperienda, aut in partem meliorem interpretanda sunt: Cumprimis vero cauendum est, nequid vnquam loquamur, quod sit ab honestate, pietateque alienum, quod animum indicet turpium rerum amantem, quod audientium mores corrumpere, vel animos malarum rerum cupidine imbuere possit. Quae, quo est gravior laesio, quoque dificilius emendatur, hoc maiore sollicitudine vitanda est.

## §. 45.

### *Quid promissio? quid fides promissi?*

Quemadmodum constans veri dicendi studium in humani generis felicitate promouenda vim permagnam habet ita, nisi sua inter homines promissis fides integra constiterit, parum illi consultum videbitur. *Fides* igitur in promissis sancta nobis sit oportet. Qui fidem, quam promittendo obstrinxit,

dum

dum poteſt, non exoluit, primum iniuriam facit illi, quem deluſit, deinde humanae nocet ſocietati, quae promiſſorum conſtantia, et datae fidei ſanctitate potiſſimum ſuſtentatur. Hoc autem ita par eſt intelligi, niſi, quod promiſſum eſt, cum honeſtate, vel iuſtitia pugnet, aut ſit eiuſmodi, vt in poteſtate noſtra non ſit; nam ſicut, quae fieri omnino non poſſunt, ita, quae iuſte, honeſteque fieri non poſſunt, exigere pariter a natura alienum eſt.

## §. 46.

### *Quid pactum, et cur ſeruandum?*

Mutua de re praeſtanda, et vtrinque acceptata promiſſio *pactum* vocatur. Pactorum itaque iura a iuribus promiſſionum pendent, et quae de his dicta ſunt, ad illa rectiſſime transferuntur: quamobrem in omni pacto ante omnia tenendum eſt, nullum ab iis, quod iure valeat, iniri poſſe, qui, quod agunt, intelligere non poſſunt, veluti infantes, dementes, furioſi. etc. Deinde neceſſarium eſt, vt res, quae promittitur, nec vires noſtras ſuperet, nec legi alicui repugnet, nec iuri cuius quam aduerſetur. Pactum denique ipſum

ab omni *metu* ſaltem *graui* liberum ſit oportet. *Error* quoque, et *dolus* abeſſe debent; neque enim promiſſum recte dicitur, quod vis iniqua aut error, doluſue, nihil ſimile cogitanti extorſit. Cuncta haec pactorum genera vim ad obligandum nullam habent, neque illorum ſeruandorum vlla nobis a natura impoſita eſt neceſſitas. Nam quod poſitiuo iure reſcindi huiuſmodi negotia oportere conſtitutum eſt, id quidem aliam, ac ciuilem rationem habet.

## §. 47.

## *Quae in omni pacto vitanda?*

Sed pacti recte initi non minus ſancta, quam promiſſi fides eſt, a qua proinde abeſſe debet omnis verborum ambiguitas, et fallacia, omnis callida, et ad eam eludendam malitioſe conficta interpretatio: omnis quocunque colore inducta violatio. Sola rei, de qua pacti ſunt, praeſtatione haec fides recte liberabitur; niſi vel mutua paciſcentium conſenſione a pactione recedatur, vel gratiam huius faciat is, cuius res potiſſimum agitur. Vtrum horum ſi interuenerit ſeruandi pacti officio nos exolui apertum eſt.

CA-

# CAPVT QVINTVM.

## DE DOMINIO, ET OFFICIIS CVM EO CONNEXIS.

§. 48.

*Pacta ſupponunt Dominium rerum.*

Iam ad ſingulas pactionum ſpecies explicandas vt progrederemur, ordo ipſe poſtulare videbatur. Quum vero pactorum, et contractuum, quorum pars potior in rerum commutatione verſatur, iura a dominio pendeant, de hoc prius, et officiis, cum eo connexis exponendum mihi eſſe arbitratus ſum, quam eam tractationem adgrederer.

§. 49.

*Proprietas rerum cur inducta?*

Rerum vſus in principio communis omnibus, proprietas nullius fuit. Nihil in toto hoc terrarum orbe ita cuiuſquam erat, vt non et alterius eſſe potuerit, ſi

modo manum illi prior iniecisset. Itaque omnia omnibus communia fuerunt, donec aliquis rem quampiam occupasset, inque vsus suos conuertisset. Ac poterat rerum isthaec communio perpetua esse inter homines, si numerus eorundem id passus fuisset. Verum ex quo genus humanum pene in immensum creuisset, multique essent mortalium ad voluptatem, luxuriam, otium propensiores, quam ad laborem, necessitate factum est, vt ab ea sensim recederetur, induceretur que mos, quo nunc etiam vtimur, vt in his rebus, quarum non est tam abundans copia, vt omnibus sufficiant, quin exhauriantur, quod quisque occupasset, id eius ita esset *proprium*, vt ab vsu illius, ceteri omnes excluderentur.

## §. 50.

## *Ea introducta, quae nata officia erga alios?*

Haec proprietatis, ac dominiorum origo fuit, indeque nati sunt *mei* et *tui*, *proprii* et *alieni* adpellationes. Ex hoc autem rerum, ac iurium discrimine officia permulta proficiscuntur, eaque perfecta,

quae

quae alibi *hypothetica* nuncupauimus. Praecipua duabus his regulis continentur 1ma vt quisque alterum rebus suis quiete vti, et frui patiatur; neue seu vi, seu clam, siue per fraudem, aliaue vlla ratione corrumpat, aut interuertat. Hac lege furta, rapinae, inuasiones, damna, iniuriae, fraudis omne genus prohibentur. 2da, vt, si quid rei alienae ad nos deuenerit, cuius restituendae facultatem habeamus, nihil praetermittamus operae, quo magis ad Dominum quanto citius redeat. Nam si citra culpam nostram periuit, aut bona fide a nobis absumpta est, nec quidquam ex ea patrimonio nostro augmenti accessit, tum vero ad restitutionem eius nos minime teneri clarum est.

## §. 51.

### *Originarius dominii aquirendi modus est occupatio?*

Dominii vero parandi plures sunt modi: *originarii* alii, alii *deriuatiui.* Originarius et antiquissimus modus est *occupatio:* quam nunc quoque in rebus illis, quae nullius sunt, nec omnibus sufficiunt, possiderique, ac defendi possunt, locum habere nemo

dubitat: ſed in rebus inexhauſti uſus, veluti mari, et in iis, quae cuipiam ignoranti abſunt, veluti amiſſis, locum non habet. Vnde *inuentione* tum demum efficimur Domini, quando rem, quam inuenimus, aut vacuam, aut a domino vere derelictam eſſe certo conſtat.

§. 52.

*Acceſſio. Haec quotuplex?*

*Acceſſio*, qui eſt alter quaerendi dominii modus originarius ab Iure Conſultis triplex ſtatuitur: *naturalis* ſcilicet, *induſtrialis*, et *mixta*. Triplici enim ratione incrementum rei noſtrae accedere poteſt, vel naturae ſolius beneficio, vel induſtria noſtra, vel natura ſimul et induſtria. Sic foetura animalium naturae ſoli debetur: ſoli induſtriae rebus inducta ſpecies, at fructus terrae plerique naturae ſimul, et induſtriae.

§. 53.

*Quae regulae circa acceſſionem?*

Quod naturae ſolius beneficio res noſtrae incrementum acceperunt, id quidem no-

noſtrum eſt, ſi de priore illius domino nihil conſtet. Alioquin ſeparandum eſt a re noſtra incrementum, et domino reſtituendum, vel ſi commode ſeparatio iam fieri nequeat, eius praeſtanda aeſtimatio. De acceſſione, quae fit induſtria noſtra, ſiue ſola, ſiue adiuta a natura, idem pene ius eſt: nam ſi, quod rei noſtrae ita accedit, alienum non eſt, erit noſtrum, veluti nauis, quam e tabulis meis conſtruxi: ſin vero ſit alienum, videndum poſſitne ſine detrimento ſeparari, an non, ſi illud, ſeparabitur, dominoque ſuo reſtituetur; ſin hoc, res erit pro rata communis, et is, qui communionis auctor exſtitit, damnum, ſi quod res accepit, praeſtare tenebitur. Cuncta haec ex illis, quae de non laedendis aliis diximus, prorſus aperta ſunt.

## §. 54.

### *Qui modi deriuatiui?*

Sed his quaerendi dominii modis breui adiecti ſunt alii, quos *deriuatiuos* Iure Conſulti adpellant, et qui nunc inprimis valent: puta ſucceſſio, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato, quae etiam *haereditas* dicitur: *praeſcriptio*, *contractus* etc. Sed

praeſcriptionem natura nullam nouit. Quare omiſſa de vſucapionibus doctrina caeteros perſequemur.

# CAPVT SEXTVM.

## DE CONTRACTIBVS, DEQVE OFFICIIS INDE PROVENIENTIBVS.

### §. 55.

*Pacta cur neceſſaria?*

Non eſt hoc in noſtra ſitum poteſtate, vt nihil nobis vnquam earum rerum deſit, quae ad vitae neceſſitatem, commoditatemque pertinent. Itaque nullo negotio intelligitur, quae nobis deſunt, ea, quum opus habuerimus, ab aliis petenda eſſe, et noſtra facienda. Et natura quidem huic neceſſitati prouidit, conſtituta inter homines officiorum communione ea, vt alter, alteri, quum poterit, ope, conſilio, rebus ne deſit. Verum hoc dandi beneficii officium imperfectum eſt, quod negari citra iniuriam poteſt, et negatur etiam perſaepe, quod experientia conſtat. Intereſt autem no-

noſtra frequenter, vt de neceſſario nobis auxilio certi ſimus, quod niſi pactis, et conuentionibus ea de re initis effici nulla alia ratione iuſte poteſt.

Officia beneficentiae *citra iniuriam* negari poſſe quod dixi, caue ſic intelligas, quaſi nefas non ſit ea negare indigentibus, quum poſſis praeſtare. DEVS eſt, qui nos mutua in beneficia propensos eſſe vult, promptosque, cuius voluntati parere religionis eius pars eſt, quam illi debemus, tametſi pervim extorqueri ab inuito benficia minime debeant.

§. 56.

*Quae genera pactorum?*

Sunt autem pactorum, et contractuum variae ſpecies. Sed ſumma eorum partitio eſt, in *gratuitos*, ſeu *beneficos*, et in *oneroſos*, ſeu *reciprocos*. Gratuiti illi ſunt, quibus alteri promittitur quidpiam, ſed gratis, nulla viciſſim rei cuiusdam praeſtandae neceſſitate impoſita. Oneroſi dicuntur, quibus vtraque pars ad praeſtandum aliquid adſtringitur; hi proinde *bilaterales* ſunt; illi *vnilaterales*.

## §. 57.

### *Quid donatio, ? et quae circa illam Iura, et officia?*

Ineſt quidem in omni contractu gratuito donatio quaedam, ſed eſt etiam donatio ſtricte dicta, ſeu contractus, quo nobis id, quod nullo iure perfecto poſtulare, atque exigere poteramus, gratis, et ita tribuitur, vt noſtrum fiat. Itaque res donatione efficitur noſtra, nec vlla eſt eius, quod ſemel donatum eſt, repetitio, ne quidem ob ingratitudinem donatarii. Quoniam vero a donantis voluntate pendet, quo modo, aut qua lege donare velit, nihil impedit, quominus conditionem etiam aliquam adiungat, veluti ſi ſe ante donatarium obire contingat, quae *donatio mortis cauſa* dicitur: et in eo maxime a donatione inter viuos diſtat, quod ante mortem pro arbitrio donantis reuocari poſſit, nec niſi confirmata morte ius perpetuum, et irreuocabile tribuat.

## §. 58.

### *Quid mutuum?*

Proximum donationi eſt *mutuum*, quo *res*, *quae vſu conſumitur*, veluti pecunia, vinum, frumentum: et his ſimilia *alteri vtenda gratis ea lege datur*, *vt certo lapſo tempore*, *tantumdem in eodem genere reddatur.* Creditoris itaque officium eſt, rem aptam vſui praeſtare, et ante tempus non repetere: Debitoris autem, quod vtendum accepit, eo, quo conuenit, tempore ex pacti formula ita reddere, ne quidquam damni adferatur creditori. Diſtat a mutuo *contractus foenebris*: nam qui mutuum dat, is dat vſum gratis, qui autem pecuniam foenori dat, is praeter *ſortem*, aliquid pro vſu accipit, quod *foenus*, aut *vſura* dicitur.

## §. 59.

### *Quid commodatum? et ex hoc quae officia?*

Adfine mutuo eſt *commodatum*. Dico commodatum eum contractum, quo definitum rei noſtrae vſum alteri ad certum tem-

tempus gratis, et ita concedimus, vt elapſo tempore eamdem in ſpecie reſtituere debeat. Quod quia fieri nequit, niſi vſus rei citra conſumptionem eſſe poſſit, commodatum non eſt praeter quam in rebus non *fungibilibus*. Quoniam autem vſus rei commodatae non niſi definitus conceſſus ſit, iniuriam facit commodatarius, dum re aliter, quam conceſſum eſt, vtitur. Sed nec repeti a commodante, ſine iuſta cauſa ante tempus poteſt. Si res caſu perit, perit commodanti; neque enim dominium in hoc contractu transfertur: ſin autem dolo, vel culpa Commodatarii factum eſt, vt intercidat, iniuſtus fuerit, ſi neget aeſtimationem. A commodato differt *precarium* in eo, quod qui precarium rei ſuae vſum conceſſit alteri, eumdem pro arbitratu ſuo reuocet.

## §. 60.

### *Quid depoſitum quae officia?*

Quod ſi vero reddendum eſt cuique, ſine detrimento id, quod vtendum nobis liberaliter ipſe conceſſit, quanto iuſtius eſt reſtituere, quod apud nos cuſtodiae cauſa *depoſitum eſt* hac ipſa conditione vt,

quan-

quandocunque repetere id visum fuerit deponenti, sine mora redderetur. Vt autem depositarii officium est, rem suae fidei commissam diligenter custodire; ita etiam, qui deposuit impensas in custodiam factas restituere iure tenebitur. Nec postulare aestimationem eius, quod sine dolo, sine culpa depositarii, solo fortunae casu, periuit.

## §. 61.

### *Quid mandatum? et quae hinc officia?*

Inter contractus gratuitos numeratur etiam *mandatum*, quo alteri quidpiam nostro nomine agendum, curandum, efficiendum committimus. *Mandatarius* igitur, seu quod idem est, *Procurator*, quemadmodum creditum sibi negotium omni diligentia curare, ita nihil, quod mandatum non sit, agere, vel suscipere debet. *Mandans* vicissim quae intra fines mandati a Procuratore gesta sunt, rata habere, eumque seruare indemnem tenetur. Non est autem Procurator, qui rem alienam sibi non commissam agit; sed *negotiorum gestor*: nec continuo mandasse videri potest,

qui

qui rem ſuam, alteriusue alteri *commendat*, et, vt curae ſibi eſſe velit, rogat.

## §. 62.

### *Quae in contractibus oneroſis regulae generales?*

De contractibus *oneroſis* hoc generatim tenendum eſt: omnem in illis inaequalitatem a naturali iuſtitia alienam, et ob id illicitam eſſe: quia vero in ſtatu naturali ſuis quiſque rebus pretium pro arbitrio ſtatuit, aequalitas rerum permutandarum a voluntate, et iudicio contrahentium ita pendet, vt aequales ſint, quas eſſe tales cenſent contrahentes. Ceterum, quia in hoc iudicio falli eos neceſſe eſt, ſi latentia rerum vitia ſtudioſe celentur, contra viri boni, ac iuſti officium facit, qui quae ſuae rei vitia nouit, ſilet, vt incautum decipiat.

## §. 63.

### *Quid permutatio? et quae permutantium officia?*

In oneroſis contractibus principem locum tenet is, qui fit *permutatione*: id

eſt accipiendo, quo egeas, et dando, quo carere queas ipſe; alter vero vſui ſibi fore putet. De quibus dandis, recipiendisque poſteaquam conuentum eſt inter contrahentes, perfecta eſt permutatio, ſtatimque ad ea mutuo ſibi tradenda obligat. permutari vero poſſe, non res modo cum rebus, ſed, et vſum rei cum vſu rei alterius, operas item cum operis prorſus apertum eſt.

## §. 64.

### *Quid Emtio? Venditio?*

Eſt hoc genus contrahendi procul dubio antiquiſſimum. Sed quum non ſemper haberet alter, quod tibi vſui eſſe poſſet, quodque pro accepto redderet, inuentus eſt alius, et facilior, et expeditior rerum parandarum modus, qui *emptione*, ac *venditione* perficitur: quod tum fit, quando duo, aut plures inter ſe, de re certa pro certo pretio tradenda conueniunt: ex qua conuentione naſcitur obligatio: *emptoris* quidem; ad pretium numerandum: *Venditoris* autem, ad tradendam mercem, praeſtandamque euictionem, ſi rem alienam pro ſua inſcio emtpori obtruſiſſet:

vtri-

*vtriusque* demum ad ſeruanda pacta, ſi quae contractui praeterea adiicere placuit, cuiuſmodi ſunt *pacta: de retrovendendo: praelationis, legis commiſſoriae, addictionis in diem, et alia ſimilia.*

*Pactum de retrouendendo* eſt conuentio de re vendita, pretio ante, vel poſt certum diem, vel quandocunque reſtituto, venditori reddenda. *Pactum praelationis* eſt conuentio de re iterum venali venditori potius, eiusue poſteris, tandumdem pretium, quod alii offerunt, ſoluentibus vendenda. *Pactum legis commiſſoriae* eſt pactum, quo venditor rem inemptam fore cauet, ſi pretium ante certum diem non ſoluatur. *Pactum addictionis in diem:* eſt pactum de emptione venditione, ſeu perficienda, ſi intra certum diem, nemo plus obtulerit: ſeu iam perfecta reſcindenda, ſi plus oblatum fuerit, niſi prior emptor tantumdem offerat.

## §. 65.

## *Quid Locatio, Conductio?*

Non raro fit, vt aedes, praedia, et alia huius generis, alteri vtenda, et fruenda concedamus, idque certo pretio, de

quo

quo inter dominum, et eum, cui conceduntur, conuenit. Qui rerum ſuarum fructum hoc pacto in alium transfert, *locare* dicitur: qui autem fruendas accipit, *conducere:* ipſa conuentio, contractus *locati conducti:* ex cuius natura facile intelligitur, teneri locatorem, vt rem conductori praeſtet, praeſtitamque conſeruet vſui aptam: vt eam nondum finita locatione ne repetat: vt deteriorationem cum vſu coniunctam ferat. Conductoris vero eſt, re vti ad eum modum, de quo conuenit: mercedem ſuo die, ſine tergiuerſatione, ac fraude deponere: nihil negligere, quod ad ſeruandam rei integritatem pertineat, et ſi quid ſua culpa res vitii accepit, reparare: nam ſi casu damnum in re datum eſſet, id quidem Locatori nocet, tamquam Domino, non Conductori.

## §. 66.

### *Quid ſocietas negotiatoria?*

*Societas*, nimirum *negotiatoria*, inter eos eſſe dicitur, inter quos conuenit de re, vel opera negotiationis cauſa ea lege conferenda, vt aequalibus, aut rati portionibus lucrum inter ſe partiantur.

 Aequa-

Aequales ſunt lucri portiones inter ſocios, qui vel omnia ſua Bona, vel aequalem eorum partem contulerunt; ſin alius alio plus dedit, ratis portionibus lucrum inter ſe communicant. Officia vero ſociorum ſunt, curam, ac dilgentiam, quantam quiſque poteſt, in negotio communi adhibere. Omnia ad communem vtilitatem, nihil ad priuatum commodum referre: quod eſt omnium ſociorum commune, id ſibi minime vindicare: fraudem omnem fugere: verbo cuncta praeſtare, quae fides pacti ab vno quoque exigit.

## §. 67.

## *Qui contractus aleae?*

Peculiare genus pactorum eſt, quae *aleam* continent: ſunt nimirum conuentiones de incerto euentu, qui lucrum aeque, ac damnum contrahentibus adferre poteſt; huiuſmodi ſunt contractus *luſorii: emptio ſpei: iactus retis, lotaria* etc. Quoniam vero in hoc genere contractuum rariſſime euenit, vt, quantum quis praeſtitit, tantum ab altero recipiat, fruſtra eſt, qui in his dati, et accepti aequalitatem deſiderat, euentusque ſpem ſi deſtituat, de iniuria queratur, ſi modo dolus omnis ab-

fu-

fuit, et inter damnum, quod metuitur, ac lucrum, quod speratur, spemque ipsam, ac periculum, iusta quaedam proportio seruetur.

§. 68.

## *Quibus modis firmantur pacta?*

Iam pacti fides sancta quidem esse debet vnicuique. Verum docuit non infrequens experientia, eam quoque non raro fluxam esse. Itaque eo iam adducta res est, vt, nisi plane cognitam habeamus, ac perspectam eius fidem, quocum nobis negotium intercedit, pactorum efficacia minime contenti firmari ea velimus, quo de fide ex formula pacti praestanda simus securiores. Id autem 4^or^ fere modis effici solet: *obligatione litterarum: fiducia: sponsione*: ac *iure-iurando*: Literarum obligatio, vt hodie mos est, in omni genere conuentionum adhibetur: sed eius maior est ad probationem vis, quam ad faciendam de fide securitatem.

§. 69.

*Quid est pignus? quid hypotheca?*

*Fiduciae* duo ſunt modi: alter, quando res paris, aut, quod plerumque fit, maioris pretii datur creditori, ea conditione, vt, ſi Debitor non ſoluerit, illa vel iuſto pretio ſibi retinenda, vel bona fide vendenda ſuum recuperet, aut ſine fraude reddat, ſi debitor paratam ſolutionem offerat. Hoc genus fiduciae proprie dicitur *pignus*. Alter eſt modus, dum res quaepiam immobilis, veluti fundus, domus obligatur Creditori ita, vt debito non ſoluto, ex ea ſortem, vna cum foenore recipiat. Rem in hunc modum obligatam vocant *hypothecam*.

§. 70.

*Quid fideiuſſio?*

Sponſio, quae *fideiuſſionis* nomine notior eſt, in eo eſt ſita; ſi Debitor, qui, quod obliget, aut pignori det, non habet; dato pro ſe fide-iuſſore, caueat. Dicitur vero Fideiuſſor, qui, ſi Debitor ſoluendo non foret, ſe ſoluturum ſpondet, quod ille debet. Vnde aliud eſt, *fide iubere*: aliud *expromittere*.

§. 71.

§. 71.

*Qui Iusiurandum?*

*Iurisiurandi* demum religio perſaepe ad firmandam pactorum fidem adhibetur, quae hoc maiori integritate exoluenda erit, quo grauius ſcelus eſt DEVM velle, quam hominem fallere: ſiue enim falſum ſciens iures, ſiue iuratam fallas fidem, blaſphoemiae reus es, quo crimine nullum eſſe poteſt magis abominabile.

# CAPVT SEPTIMVM.

## DE SVCCESSIONIBVS SECVNDVM IVS NATVRALE.

§. 72.

*Quid Succeſſio, et quotuplex?*

De aquiſitione Bonorum *per ſucceſſionem*, quaedam dici quidem etiam ex iure naturali poſſunt multa non poſſunt. Succeſſionum enim iura pleraque inſtitutis humanis originem debent: his autem quid conſtitutum ſit, ex legi

bus cuiusque Regni propriis diſcendum erit. Sunt vero Succeſſionis genera tria praecipua; ea ſcilicet, quae *legitima* dicitur: tum ea, quae ex *teſtamento* defertur: demum *pactitia:* quae his modis adquirimus, *haereditate* accipimus, et is, in quem ita poſt mortem alicuius Bona transferuntur, vocatur *haeres.*

## §. 73.

### *Quae Succeſſio legitima?*

*Succeſſio legitima* praeſumpta voluntate defuncti nititur. Huius autem praeſumptionis ea ratio eſt, quod, qui res ſibi tanta ſollicitudine, quaerunt, quaeſitaſque tanta cura conſeruant, et adminiſtrant, eorum, ut facile creditu eſt, non ea ſit intentio, vt ſe mortuis veluti vacuae cuiuis occupanti cedant, ſed vt ſuis, quos amant, et quorum felicitate delectantur, proſint. Quoniam vero natura cuique inſitus ſit amor eorum, quos ex ſe genuit, et qui nobis ſunt iuncti neceſſitudine, aliorumque cognatorum; haut aegre intelligitur, morientium deſideria alia non eſſe, quam vt, quae ſua ſunt, his cedant, vt quiſque eorum ſibi neceſſitudine coniunctiſſimus

eſſet.

eſſet. Coniunctior autem nemo cuiquam exiſtimari poteſt, quam ſint Liberi Parentibus, ac viciſſim: hos itaque non immerito natura priore loco ad ſucceſſionem vocat: tum fratres; ac ſorores, horumque Liberos; poſtremo cognatos; nullo ſexus, atque aetatis diſcrimine. Quod enim quibusdam in locis mares fœminis, maiores natu minoribus præferuntur, id vero ex lege ciuili, et hominum inuento eſt, non ex iure naturae.

§. 74.

*Quid teſtamentaria?*

Sed ſi cui Liberi nulli ſunt, nulli alii, quibus ex iuſtitia, ſiue aequitate Bona relingui debeant, non videtur ei neganda poteſtas deſignandi, quem maxime ſibi poſt mortem in illis ſucceſſorem cupiat, niſi viuens ipſe ſententiam mutaſſet. Sane cauſam non video, cur, quae Dominus, dum viueret, recte, iuſteque de bonis ſuis conſtituit, poſt mortem valere non debeant. Huiusmodi voluntatis declaratio *Teſtamentum* dicitur: cuius ea vis eſt, vt Bona defuncti, non poſſint tanquam in medio poſita exiſtimari, quae ab vno quoque occu-

pari queant: ſed ſint tamquam iacentia, a quibus adprehendendis citra iniuriam non poſſit arceri is, cui prae aliis omnibus illa Teſtantis ſuprema voluntas addixit.

§. 75.

*Quid pactitia?*

Neque ego aliena a naturae iure cenſeo *pacta ſucceſſoria:* quamquam ea ius Romanum non probet, plenaque triſtiſſimi euentus queratur. Quum enim, quod noſtrum eſt, de eo nobis non modo in praeſens, ſed et in futurum diſponere integrum ſit, nihil eſt profecto, quod impediat, quo minus nobis etiam paciſci de Bonis in euentum mortis in alterum tranferendis liceat. Nam ratio de voto captandae mortis in haec pacta non magis cadit, quam in *Donationes mortis cauſa*, quas tamen Romani non improbabant.

§. 76.

*Quae Succeſſoris officia?*

Siue autem Teſtamento, ſiue pacto de ſucceſſione in Bona ſua ſtatuat Dominus, ab

eius

eius pendet arbitrio qua lege, quaue conditione: ex asse? an pro parte: reuocabili, an irreuocabili iure etc. ea ad heredem transire velit. Multa hic quidem ciuili lege aliter constituta sunt; sed huius subtilitates non patitur naturae simplicitas.

§. 77.

*An heres teneatur oneribus defuncti:*

Id vero aequissimum est: vt haeres, seu is lege, seu diserta Testantis voluntate succedat, posteaquam semel adire haereditatem constituit, quemadmodum iura defuncti omnia, quae morte exstincta non sunt; ita etiam onera illius sua esse putet, obligationibusque tamquam suis satisfaciat, quantum, quae accipit Bona, sufficiunt.

---

# CAPVT OCTAVVM

## DE IVRE HOMINVM SOCIALI.

§. 78.

*Quid societas pro statu accepta?*

Societatis nomine hic *statum* intelligo *hominum communis cuiusdam finis adi-*

*piſcendi gratia inter ſe vnitorum.* Habet igitur omnis ſocietas finem quempiam, eumque bonum ſibi propoſitum, ad quem coniunctis viribus contendat. Qui quidem finis, quum varius eſſe queat, ſocietatum quoque varia poſſe genera conſtitui planum eſt.

§. 79.

*Quae ſociorum officia generalia?*

Omnium vero ſocietatum, cuiuſcunque illae ſint generis, hoc eſt commune, vt ſint Perſonae quaedam morales: nimirum, qui in ſocietatem quampiam coeunt, in hoc omnes conſpirent neceſſe eſt; vt ſe mutuo in his, quae ad finem, cuius gratia coierunt, pertinent, iuuent, ac defendant. Vt enim naturalis perſonae ſalus inde exiſtit, ſi partes eius omnes in vnam veluti harmoniam conſpirent; ita ex concordi in eumdem finem, eademque media, conſpiratione eorum, qui ſocietatem conſtitunt, ſalus et naſcitur, et conſeruatur. Ita omnium, qui in ſocietatem coierunt, quaſi vnus debet eſſe intellectus, vna voluntas; ex quo lex omnium in omni ſocietate ſuprema orta eſt: quae ad omnia ea agenda,

ſine

ſine quibus finis, quem ſocietas intendit, obtineri nequeat, contra ad ea omnia, quae fini ſocietatis aduerſantur omittenda Socios obſtringit.

§. 80.

*Quae Societas coniugalis?*

Prima, atque omnium ſimpliciſſima eſt ſocietas, quae exiſtit ex vnione maris, et foeminae per legitimas nuptias contracta. Coniugum aduerſum ſe mutua officia, virtutesque ſunt: *viri* quidem prudentia, manſuetudo, lenitas, vigilantia, animus fortis: *mulieris* autem caſtitas, fides, modeſtia, pietas, obedientia.

§. 81.

*Quae Parentum, ac Liberorum?*

Proxima huic eſt Societas, quae Liberos Parentibus coniungit, et cui educatio Liberorum, rectaque inſtitutio propoſita eſt. Officia itaque Parentum erga Liberos ſunt 1mo hos amare, non ſtulte deperire. 2do educare honeſte, quod quidem fit non alimentis dumtaxat praebendis, colendoque

corpore, ſed cumprimis recta intellectus, ac voluntatis inſtitutione. 3io *In veritatibus religionis, ſolidaeque pietatis adcurate inſtruere*, non tam verbis, ac cohortationibus, quam exemplo vitae ad imitandum propoſito. 4to caſtigare, dum res ita exigit, ſed ad modum. 5to non adplaudere vitiis infantiae. 6to Nec ingenium putare ſtultam, et immodeſtam pueri loquacitatem. 7mo adfectibus modum adhibere, ne in perniciem eius adoleſcant. 8uo cauere, ne quid vnquam mali, ſeu inhoneſti facere iubeantur. 9no In neceſſariis nunquam deeſſe. etc. Liberorum autem erit tenerrimo parentes amore complecti, eumque quauis data occaſione teſtari: eos reuereri: obedire illis in omnibus, quae legibus non ſunt aduerſa: conſulere neceſſitatibus eorumdem: nihil, quod iuſta de cauſa diſplicere queat, agere: multoque minus quidquam committere, quod rebus eorum, vitae, corpori, aut famae noceat.

§. 82.

*Quid ſocietas herilis, et quae huius officia?*

Educandorum Liberorum, et inſtituendorum: totiuſque familiae regendae, atque curan-

curandae necessitas alienam saepe operam desiderat. Haec causa *Herilis societatis* prima fuit, quae *domini*, aut *serui herae*, atque *ancillae* ignota naturae nomina inuenit. Vt autem seruorum est amare heros, eosque reuereri, iustis eorum, atque honestis mandatis prompte obsequi, rem sibi commissam diligenter, ac bona fide procurare: ita suum Domini officium esse nouerint, aequitatem seruis exhibere: vt ait *Paulus Apostolus*, nihil nisi iustum, et aequum, nihil nisi honestum praecipere: quae ad victum eorum, ac vestitum pertinent, humaniter suppeditare: vitae ad verae pietatis normam exigendae rationem docere: labores ab iis ad suum modum exigere: iusta mercede non defraudare; eos morbis, aut aetate fractos non abiicere; et in castigando meminisse homines eos esse sibi natura non impares, dominiumque in eos se exercere, verum ita, vt rationem eius olim reddituri sint DEO tamquam communi ipsorum, ac seruorum domino, quemadmodum docet PAVLVS *in epist. ad Ephes.* III.

## §. 83.

### *Quae societas ciuilis? quis eius finis?*

Sed humanarum societatum omnium, vt maxima, ita praestantissima est *Societas ciuilis*, in quam vt coirent segreges familiae, partemque libertatis naturalis a se abdicarent, studium fuit *propriae securitatis*, quam in tanta hominum improbitate, habendique insatiabili quadam cupiditate facile prospiciebant sine communi quodam imperio, intutam valde, aut potius nullam fore. Hominum itaque in ciuilibus societatibus viuentium alii quidem sunt, qui imperium summum tenent: *Principes*: alii qui horum vice in publicarum rerum administratione funguntur *Magistratus*: alii denique *Subditi*.

## §. 84.

### *Quae Imperantis?*

In his, penes quos est imperandi in ciuitate potestas summa, duo sunt caute secernenda: *Persona* scilicet, quae imperium exercet; & *Iura* quibus illud exercet: namque personae ad imperium designatio populi

li eſt *originarie*, eiusdemque eſt definire non tantum *modum*, quo imperium deinceps iuſte adquiri poſſit; verum etiam eius adminiſtrandi *formam*. Sed iura, quae inſunt in imperio, ea quidem ex ipſis naturae fontibus proficiſcuntur, diuinaeque ſunt originis: quo fit vt in huius generis iuribus exercendis ſummi Principes ſoli DEO ſubſint, nulli vero alteri mortalium; vt in eorum exercitio a nemine poſſint impediri; nulli teneantur praeterquam DEO rationes reddere; vt reſiſtere illis nefas ſit. *Qui poteſtati reſiſtit* inquit *Paulus Apoſtolus DEI ordinationi reſiſtit; non eſt enim poteſtas niſi a DEO. ad Romanos cap.* 13. Vt autem iura ſummo imperio comprehenſa prorſus eximia ſunt: vt ſancta, atque eminens Principum Maieſtas; ita etiam ſancta, et grauia ſunt officia, quae his incumbunt, in quorum manu eſt tot millium temporaria felicitas, quique eius procurandae munus in ſe receperunt, dum imperium reciperent.

## §. 85.

### *Quae reliquorum Ciuium officia?*

Non minus grauia ſunt erga Principem ſuum officia ſubditorum 1$^{mo}$ eos honorare tam-

tamquam qui Dei in regendis rebus publicis vices obeunt in his terris, quo tranquilla, ac beata mortalium vita esset. 2do *amare* eos, ac *reuereri*, vt Patres populi. 3tio *Iis obedire* in omnibus, quae naturae non obstant, nec aduersantur Legibus: *obedire autem non tantum propter iram, sed etiam propter Conscientiam.* 4to *Iis praestare tributa:* quod idem, quem saepe commemoraui, *Paulus Apostolus* praecaepit. 5to *Fidem non fallere*, non fouere seditiones, non aliud quidquam committere, quod esset contra id, quod Principi debent, obsequium. 6to *Praecari DEVM pro Iis* non *bonis* tantum, verum etiam *discolis* exemplo veterum Christianorum quos Apostolici praecepti memores precatos fuisse Devm *Tertullianus* refert etiam pro iis Romanorum Imperatoribus, a quibus nihil factum est reliqui, vt nomen Christianum penitus deleretur.



